

incipit: anno Domini MCCXLI., indictione XIV., die Veneris prima februarii, in capitulo monasterii de Tilieto &c., nomine ejusdem ex altera coram Dominis Alberto præposito de Bublico, & Arnaldo Archipresbytero de Viginti canonicis Aquensibus ab eisdem arbitratis super hoc, ut dicebant, electis, vertebatur in hunc modum. Petebat siquidem dictus Oglerius nomine jam dictæ Ecclesiæ decimam omnium terrarum, quas monachi de Tilieto in territorio de Campali acquisierant post concilium generale: cui petitioni Petrus syndicus memoratus ex aduerso respondit, quod non concedebat ad præstationem dictarum decimarum Tilieti monasterium de jure teneri. Cum igitur coram prænunciatis arbitratis esset super hoc diutius litigatum, tandem de voluntate, & consensu partium, & pro bono pacis eisdem arbitri pronunciauerunt, & etiam statuerunt, quod monasterium de Tilieto annuatim tempore messionum modium unum pulchri grani ad mensuram de UVada persolvat Aquensi Ecclesiæ pro decima sæpius memorata, salvo jure privilegiorum, & omni jure præterquam in isto modio grani, super quo amicabile compositio facta est Ecclesiæ utriusque. Interventu Bertoloti monachi, Guidonis monachi, Petri Aquensis, Jacobi de Laureto. Facta est hæc compositio in claustrum monasterii sanctæ Julię. Ego, Durantus Pal. Not. interfui, & de mandato prædictorum arbitratorum hanc cartam scripsi, & aliam ejusdem tenoris similiter. Ego Ubertus Galea de Aquis &c.

*Depositio testium circa possessiones Aquensis civitatis Ecclesiæ clientelares.*

203

M C C X L I I I.

Anno Domini MCCXLIII., indictione I., die Jovis V. octobris. In majori Ecclesia de Aquis præsentibus Petro Robamulta, Anselmo Scriba, Ogerio testibus præsentibus, D. Morandus Judex, & assessor communis Aquis ad instantiam D. Lotterii præpositi Aquensis canonicæ præcepit mihi Notario, ut autenticarem, & in publicam formam redigerem hæc scripta data in scriptis extimatoribus communis tempore D. Belengarii Torti, tunc existentis potestati Aquensis, quarum scripturarum tenor talis est. Pandit Vincentius de Braida, quod stria viginti terræ seminata, quæ jacet, ubi dicitur Calzalo, reddit canonicæ Aquensi decimam. Henricus Bonevel pandit stria tria terræ seminata de Cantonatis reddit canonicis quartum, & decimam. Rodulfus de Braida ad undecim cavanitias stria quatuor vineæ, & reddit quartum, & decimam, & denarios quatuor canonicis. Saccus reddit canonicis de sua terra de Podio omni anno stria undecim, & mina una grani. Otto quondam Johannis de Porta reddit canonicis de sua terra centanarii, scilicet de stariis duobus, & minam libram unam olei, & de hoc, quod ipse habet apud Veranum denarios viginti. Henricus Albus de sua terra de Ravanascò, scilicet de stariis quatuor quartum. Rufinus Loveza ad S. Martinum cavanitias quatuor vineæ, de qua reddit canonicis quartum. Filii Jacobi Urfi reddit canonicis stria unum vini, & denarios sex de sua Vineâ de Cuccaro. Farinarii reddunt canonicis

de sua domo de civitate fictum solidos duos. Henricus de Porta reddit canonicis de stariis duobus, & mina una de Centanario libram unam olei. Mandrochi stria sex terræ seminata de qua reddit canonicis quartum. Jacobus Roccis stria quinque terræ seminata in centanario, cui coheret Benjamin, & reddit canonicis quartum, & decimam. Otto Vaire reddit canonicis de sua domo de civitate omni anno solidos duos, & V. Manfredus de Porta stria duo, & mina una terræ seminata, de qua reddit canonicis libram unam olei. Magaxinus modium unum terræ seminata in Cantonatis, de qua reddit canonicis quartum, & decimam. Passarella domum unam in civitate, de qua reddit fictum canonicis omni anno solidos duos. Vellelmus Legerius modium unum terræ seminata in Cassarogna, de qua reddit quartum, & decimam canonicis, & Dominis de Meladio. Martinus Belengerius stria duo terræ seminata, de qua reddit canonicis quartum. Berolfus Belengerius stria duo terræ in Fontanellis, de qua reddit canonicis quartum. Nicolaus Bejani cavanitias tres vineæ in Ferrera, de qua reddit canonicis quartum, & decimam, & denarios tres. Henricus de Murbello reddit canonicis de sua terra de Predello decimam. Item de uno modio, quod habet in Cassarogna, reddit canonicis quartum, & decimam, & Dominis de Meladio. Item reddit eis de sua terra, de Preanivent, quæ est stria duo, quartum. Alboschinus domum unam in civitate, & reddit canonicis fictum solidum unum. Filia quondam Mascharini domum unam in civitate, & reddit canonicis fictum omni anno solidos duos. Berolfus Alaxe Michaelis domum unam in civitate, & reddit canonicis fictum omni anno solidos sex. Aquidea Magistri stria tria terræ seminata in Fontanellis, & reddit quartam. Item stria duo terræ seminata in Cassarogna, & reddit canonicis, & Dominis de Meladio quartum. Bonifacius de Plaxano domum unam in civitate, & reddit canonicis omni anno solidos quinque. Arnaldus Bordella stria duodecim terræ seminata in Cassarogna, quæ fuit Gulielmi Rodini, & reddit canonicis quartum & decimam. Item stria septem terræ seminata in Cantonatis, & reddit quartum, & decimam Dominis de Meladio. Unde dictus D. Lotterius hanc cartam fieri jussit, & ego Henricus Arancus Notarius S. Palatii hanc cartam tradidi, & scripsi. Ego Ubertus Galea de Aquis. Not. &c.

*Consignatio sediminum incolarum Casanovæ.*

M C C X L I I I.

204

Anno Domini MCCXLIII., indictione prima, die lunæ tertio augusti. In Villa Montisboni præsentibus D. Henrico Bottaccio de Aquis, D. Presbytero Alberto de Montebono, Henrico Buglono, Cunrado Clerico de Montebono, & Vincentio filio Manfredi de Hospitali testibus rogatis. Cum quæstio verteretur inter abbatem, & præpositum Aquensem ex una parte, & Dominos de Montebono ex alia de hominibus de Casanova, qui morantur apud Montebonum, & de sediminibus eis collatis, ita convenerunt inter se, ut de antiquioribus hominibus de dicta villa Montisboni eligeren-